



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 136. Quid in genere notandum sit circa resignationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**



anim censetur domui suæ præesse Prælati: Item si Ministris & Officialibus secundum loci consuetudinem solvantur salaria usque ad certum tempus: hinc *Glossa* ad dictum Cap. Verbo *Expensis*, ait, *hoc etiam ibidem addebat Archidiaconus, ut quia salaria dantur Officiali . . . . vel sunt expensæ in Ministris &c.* Intellige semper, nisi obstat statutum vel alia consuetudo.

§. II. Putat *Tond.* qq. benef. p. 1. c. 22. n. 2. 951

Fructus beneficii, si exacti non sint ante obitum beneficiati, non transire ad hæredes, sed remanere in dominio Ecclesiæ, verum oppositum cum communi docet *Galli* disp. 37. n. 7., Quia tales fructus, quando cessit dies, habentur pro perceptis, ergo sicut fructus percepti spectant ad hæredes, ita etiam exigendi; similiter si pensionarius moriatur ante terminum solvendi, beneficiarius solvere debet hæredibus pro rata fructuum perceptibilium usque ad illud tempus, uti cum communi *Garc.* p. 2. c. 1. n. 106. *Tond.* n. 4. *Lott.* l. 1. q. 44. n. 16. *Galli* n. 8., quem vide totâ disp. 37. Vide etiam dicenda n. 962. & 1162. Item *Luca* de benef. disc. 100.

Q. 136. Quid in genere notandum sit circa resignationem. R. Seqq. 952

§. I. Singulas particulas in definitione resignationis positas explicat *Leur.* p. 3. q. 234. Divisiones autem exponit q. 235., inter cætera rectè notans cum *Nav. Barb. Lott. Pirh.* contra *Az. Castrop.* & alios, resignationem tacitam non esse quamcumque amissionem beneficii, quæ fit ex sola juris dispositione independentè à voluntate beneficiati ( hæc enim non est resignatio, sed potius privatio jure ipso, v. g. ob initum matrimonium ) sed esse talem dimissionem, quæ absque verbis vel scriptura inducitur à jure ipso per quandam interpretationem voluntatis beneficiati



ciati sufficienter declarata ex facto aliquo ad renun-  
tandum apto, uti si quis permittens beneficium su-  
um conferri alteri, simul det signum externum, quo  
consensus ille sufficienter significetur.

953 §. II. Nomine resignationis, ordinariè venit  
pura, & non conditionata, nisi materia subjecta  
vel circumstantiæ aliud postulent; hinc si quis ha-  
beat expectativam ad primum beneficium vacatur-  
um per mortem vel resignationem, si aliquod resi-  
gnetur sub conditione, non poterit illud prætende-  
re, *Gonz. & alii. Dixi*, ordinariè, nam quando  
in Regula de mensibus à reservatione Papæ excipi-  
untur vacantia ex resignatione, per hanc intelligi-  
tur etiam conditionata; similiter omnis dispositio  
loquens de resignatione, regulariter intelligitur eti-  
am de permutatione, quamvis permutatio sit resi-  
gnatio conditionata; hinc Regula de publicandis  
resignationibus intelligitur etiam de permutationi-  
bus. Vide *Leur. q. 236.*

954 §. III. Condiciones, quæ apponi possunt resi-  
gnationi, reducuntur ad has 4., I. Ut beneficium  
conferatur alicui designato; & hæc dicitur in favo-  
rem. 2. Ut resignatarius vicissim ipsi permittat suum  
beneficium; & hæc dicitur permutatio. 3. Ut sibi  
reserventur omnes vel aliqui fructus; & tunc dicitur  
sub pensione. 4. Ut regredi vel ingredi possit ad  
beneficium; regredi quidem, v. g. si resignatarius  
præmoriatur; ingredi autem, v. g. si alicui colla-  
tum sit beneficium, & hic ante captam possessionem  
cedat alteri, sub pacto, ut post absoluta studia  
propriâ auctoritate illud recipere possit; & tunc di-  
citur resignatio cum regressu vel accessu. Vide *Leur.*  
*q. 235. n. 3.*

955 Q. 137. An resignatio censeatur favorabilis, an  
odiosa. R. Facta ob utilitatem Ecclesiæ, est favora-  
bilis;